



## **Crisis Theologica**

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,  
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi  
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

**Casnedi, Carlo Antonio**

**Ulyssipone, M.DCCXI**

§. II. Monita pro meâ sententiâ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

N. 44. Abstineo ab illis rationibus, quæ unicè probant, satis esse certam aliquam in loco promulgationem, ad hoc ut Decreta Pontificia, quatenus declarativa, ubique obligent, dummodo certò moralis notitia de talis Decreti promulgatione habeatur. Dixi enim nullam in hoc esse controversiam, cum etiam DD. primæ sententiæ hoc supponant, & non possint non supponere. Ego enim attentè legi Caietanum, Sotum, Molinam, qui omnes, esto necessariam velint promulgationem hinc ut hic obligent, attamen non loquuntur de legibus datis pro totâ Ecclesiâ, & circa materiam fidei, & morum; immò et si de his loquerentur, posset per promulgationem intelligi certitudo moralis de publicatione factâ Romæ. Quare illas tantum pro secundâ sententiâ traham rationes, quæ probant Decreta Pontificia non egere publicari ubique, ut ubique obligent. Præcipua autem est, quia ex una parte, de essentiâ legis nō est promulgatio ubique, sed tantum est promulgatio, ut constat ex definitione D. Th. ex aliâ parte, ex nullo jure positivo inferitur necessitas promulgationis ubique; neque enim Papa subiectus est Juri Civili, immò supra illud est, & illud in pluribus correxit, ut videri potest in P. Azor tom. 1. lib. 5. & P. Gibal. tom. 1. lib. 4. ergo non est de necessitate legis ad hoc, ut ubique obliget, ut ubique promulgetur: addo experientia constare Fideles ubique obligatos per solam promulgationem factam Romæ; nam, ut bene P. Suar. & P. Palao n. 2. plura Juris Canonici Decreta, Decretalium, Sexti, Clementinarum, Extravagantium, Tridentini, obligant ubique, esto ubique non sint promulgata: similiter Bulla Cœnæ solum Romæ publicatur, & ubique obligat: ergo non est de necessitate legis Pontificiæ, quatenus præceptiva, aut prohibitiva, ad hoc, ut ubique obliget, ut ubique promulgetur. Argumenta opposita solvit diligenter Palao à n. 5.

## §. II.

Monita pro meâ sententiâ.

## S U M M A R I U M.

Lex quid? dicitur à ligando, n. 46.

Quomodo differat à præcepto, ibid.

Non est de essentiâ legis, ut minetur culpam, & poenam, ibid.

Promulgatio quid? Est de essentiâ legis, n. 47.

Lex supponit dominium jurisdictionis, n. 48.

Aliter discernendum de Decretis Pontificiis pure prohibitis, ac de prohibitis, quia de Tom. I.

clarativis, n. 49.

Aliud est, obligor tibi hic, aliud, obligor à te hic, n. 50.

Utilitas hujus doctrine, n. 51. 52.

Lex obligat independentè ab acceptatione, n. 53.

Monco primò lectorem, ne superficiali oculo transcurrat, quæ in hoc §. dicturus sum; cum enim ratio cogat me ad novum discurrendi modum, posset me, vel de novitate in re tam gravi accusare, cum tamen mihi nihil antiquius sit, quàm, ut sive nova, sive antiqua placere non possint, nisi quia vera; & inter utraque æqualiter constitutus, veneror antiqua, & timeo nova; vel de falsitate causare, cum tamen cum in finem unicè ætatem, & animam inter libros triverim, ut ex æterno Veritatis fonte meum in intellectum aliquis sanæ doctrine rivus descenderet.

Monco scundò ex D. Th. 1. 2. qu. 90. art. N. 1. & P. Suar. lib. 1. de Leg. cap. 1. n. 9. P. Salas 46. d. 1. de Leg. sect. 1. qu. 1. legem dici potius à li- D. Tho. gando, quàm à legendo; nec est nisi regula P. Suar. actuum humanorum, quâ quis obligatur P. Salas, aliquid facere, aut omittere. Differt à præcepto, quod lex fertur communitati, præceptum autem fieri potest singulari personæ; unde *Lege prima ff. de Leg.* dicitur: Lex est commune præceptum; & ideo P. Suar. l. c. cap. 12. definit legem dicens, Est præceptum commune, justum, ac stabile, sufficienter promulgatum: differt etiam, quia lex est perpetua, non enim cessat mortuo legislatore; contra præceptum, mandatum, statutum cessat amotione præcipientis, vel morte ejusdem, ut habetur in *Lege mandatum*; mandatum finitur morte mandantis, ut bene M. Tapia tom. M. Tap. 1. lib. 4. qu. 5. art. 2. Ex quâ D. Th. definitione in Tr. de Incarn. intulimus contra M. Victor. Lorcam, P. Esparza qu. 32. Card. Pallavicinum n. 134. P. Haunoldum, non esse de essentiâ legis strictæ, esse cōminatoriam culpæ, & poenæ propter culpam, sed satis esse, ut aliquis obligetur ad aliquid agendum, aut omittendum, non autem necesse esse potentiam ad legis transgressionem, seu ut subditus sit capax peccati. Hinc cum modestissimo, & doctissimo viro M. Godoy (cujus volumina mihi instar bibliothecæ sunt) d. 49. à n. 48. in 3. p. dixi in lege duplicem distinguendam esse vim, aliam directivam, quâ subditus ligatur ad rem præceptam, aliam coactivam, quâ ad poenam; illa est de essentiâ legis, non hæc; imò ibidem notavi ex eodem, quod licet legislator non subjiatur legi quoad vim coactivam

ctivam, attamen fuisset legibus obligatur, quoad vim directivam.

N. Monco tertio, promulgationem non esse, nisi exteriorem ceremoniam, ita subditis manifestam, ut saltem aliqui eorum evidenter sciant legem latam fuisse, & tali ceremoniâ

M. Tap. legali manifestatam. Eam definit M. Tapia *rom. 1. lib. 4. qu. 4. art. 1.* Solemnis publicatio, atque intimatio à legislatore ad subditos, quibus lex imponitur; & adeo necessaria est ad valorem legis humanæ, ut eâ promulgatione seclusa, lex nullam vim habeat obli-

S. Tho. gandi. Ita D. Thom. *1. 2. qu. 90. art. 4.* dicens: *Promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem*, intellige obligandi; &

P. Vasq. communiter DD. cum P. Vasq. *1. 2. d. 155.*

P. Suar. *cap. 2. n. 16.* P. Suar. *lib. 1. de Leg. cap. 11. n. 6.* habetur in *cap.* In istis *dist. 4. §. Leges*, ubi dicitur, *leges instituuntur, cum promulgantur.*

N. Monco quarto, omnem legem supponere in legislatore dominium jurisdictionis, nam implicat effectus sine causa: sed actus præ-

P. Less. cipui dominij jurisdictionis sunt ex P. Lessio de *just. cap. 2. n. 3.* præcipere, prohibere, permittere, punire, præmiare: ergo hi actus præsupponunt dominij jurisdictionis: ergo cum lex sit, vel præceptiva, vel prohibitiva, vel pœnalis, vel mixta, supponit in legem ferente, dominium jurisdictionis, sine quo nulla erit.

N. Monco quinto, leges Pontificias, alias esse purè declarativas, alias purè legislativas, seu prohibitivas, aut præceptivas, alias declarativas simul, & legislativas, ut sæpe dixi. Porro Decreta Pontificia purè legislativa, siue sint præceptiva, siue prohibitiva, possunt prohibere aliquid, vel quia est in se malum, vel malum, quia vetitum, juxta distinctionem objectorum, quorum alia sunt vetita, quia mala; alia sunt mala, quia vetita. Hoc mihi certum est, quod de Decretis Pontificijs prohibitis, quia declaratorijs, aliter discurrendum est, ac de Decretis Pontificijs purè prohibitis. Si quis enim de purè prohibitis dicat, quod Fideles illis non obligentur, ubi non sunt promulgata, parùm interest, cum certum sit, hoc dici non posse de Decretis prohibitis simul, & quia declarativis. Disparitas est evidens: quia Decreta Pontificia declarativa, & prohibitiva, eo ipso quod declarant talem opinionem esse scandalosam, aut objectum esse illicitum, & talis declaratio mihi constat, ideo statim illis Decretis obligor, etiam ubi non sunt promulgata, quia est principium morale evidens, quod nulla opinio certò scandalosa possit esse regula morum; & nullum certò illicitum est ample-

ctendum, sed etiam non datâ promulgatione talis legis Pontificiæ declaratoriæ, atque adeo prohibitoriæ, talis objecti, quia mali in se, & non mali, quia vetiti, mihi certò constare potest, eam opinionem esse scandalosam, & ejus objectum illicitum: ergo teneor opinionem illam, & ejus objectum non amplecti: ergo non est necessaria promulgatio hic, ut hic obliget stare Decreto Pontificio declaratorio, atque adeo prohibitorio objecti ex se mali; quidquid sit de alijs legibus Pontificijs purè prohibitorijs, & quidem objecti ex se indifferentis, & non declaratorijs.

Hæc doctrina lucem mihi dat, ut aliquid N. innuam, quod fortè non displicebit, & quò tam sententia universaliter negans legibus Pontificijs non obligari, ubi non promulgantur, quàm asserens nos ijs obligari, etiam ubi non promulgantur, simul componantur: sunt enim meo judicio duo valdè diversa, *obligor tibi hic; obligor a te hic*; quare dicere possumus, quod legi Pontificiæ declaratoriæ, & prohibitoriæ non promulgatæ hic, obligor hic; sed non obligor ab illa hic, donec hic promulgetur; ita ut promulgatio hic necessaria sit, non ut obliger hic illi, seu vitare, quod prohibet, sed ut obliger ab illa hic; non autem sit necessaria, ut obliger hic illi; nam obligor hic, stare illi hic, non ab illa, sed à principio naturali dictante, non esse sequendum, quod mihi certò constat esse malum; sed mihi constat hic, quod malum sit edere ad satisfactionem, hoc enim Papa non potens errare prohibuit Romæ, quia malum in se: ergo non possum hic (quocumque in loco ego sim) edere ad satisfactionem. In quo casu patet, me obedire Papæ declaranti hoc esse malum, attamen obedio Papæ, non quia hic (ubi gratis suppono, licet falsò) Decretum non esse publicatum, non, inquam, quia hic ubi sum, obligor à Papâ, sed quia obligor à principio reflexo naturali evidenti, quod non possum operari, quod certò scio esse illicitum.

Explico hoc paritate justitiæ strictæ, & N. aliarum virtutum, quæ sunt ad alterum: possum esse obligatus tibi, & à te, quia tu habes jus contra me; vel esse obligatus tibi, & ab alio, non à te; in utroque casu obligor tibi, sed in primo tibi, & à te; in secundo tibi, sed non à te, sed ab alio, ut bene de hoc puncto Maffrius in *3. sent. d. 7. qu. 8.* & P. Espar. *qu. 3.* Maffri, & 12. de Justitiâ. Immo quoties universa- P. Espar. liter ex motivo unius virtutis tenemur ad actum alterius virtutis, tunc obligor ad talem actum virtutis imperatæ, sed non à præcepto imperatæ, sed imperantis; ex. gr. fac ut

ut ego possim salvare alium humiliando me illi; ecce tencor à charitate ad actum humilitatis, adeoque obligor tibi, sed non à te immo neque obligor à præcepto humilitatis, sed à præcepto charitatis humiliare me ipsum tibi: similiter fac Regem præcipere Magnati, ut obediat rusticis; ecce Magnas tenetur obedire rustico, sed non obligatur à rustico, sed à Rege: ergo idem dici potest in casu nostro; sive Decretum Papæ ut declarativum, & ut prohibitivum objecti, quia mali, promulgetur hic, sive non, adhuc tencor me conformare illi, non quia ab illo obligor, sed quia illi obligor à præcepto fidei obligante me credere ut illicitum, quod scio declaratum à Papâ ut tale; & à dictamine conscientie dictante, non esse sequendum, quod scio esse infallibiliter illicitum; nec pro regulâ morum assumi posse opinionem certò scandalosam. Hæc innuisti satis sit, ut eo magis constet, quòd etiam si sequaris sententiam negantem leges Pontificias obligare, ubi non sunt promulgatæ, dico, quòd adhuc ubi promulgatæ non sunt, teneris parere; sive deinde pareas illis, quia illis, & ab illis obligaris; sive quia illis, sed à principio naturali parere obligaris; quod parum interest in ordine ad finem Legislatorum; dummodo enim legibus pareatur, hoc est quòd illi volunt, sive deinde ex illo, aut isto fine, cum finis legis non cadat sub legem.

N. 52. Ex hac distinctione duplex habebitur utilitas. Prima, quòd in præcipuo puncto componuntur Authores: dici enim potest, quòd negantes Decreta Pontificia obligare, ubi non sunt promulgata, negant tantum, quòd illa obligent, non autem negant, quòd Fideles illis obligentur; hoc enim negare non possunt, nisi negent principium omnino certum, quòd nulla certa falsitas possit esse regula morum: ergo quoad punctum practicum conveniunt cum affirmantibus, etiam ubi Decreta non sunt promulgata. Secunda utilitas est, quòd quacumque sententiam sequaris, teneris obedire Decreto; nec poteris dicere te non teneri, quia hic non est promulgatum; adhuc enim teneris, non quidem à Decreto, sed à principio conscientie universali dictante, nullum cognitum ut falsum, & ut malum, esse regulam morum; adeo ut promulgatio non sit necessaria, ut pareas Decreto, & fugias, quòd Papa prohibet ut malum; satis enim est notitia certa Decreti Pontificij, ut Decreto obedias, sed ad summum ut à Decreto obligeris; Papæ autem, sicut cuilibet legislatori, parum interest ex quocumque fine obedire tenearis, dummodo obedias.

Tom. I.

Ex hac ipsâ doctrinâ præoccupatum manet aliorum effugium dicentium, acceptationem esse necessariam, ut lex obliget: ergo etiam, ut Decreta obligent. Dico enim hoc esse falsum de Decretis declaratorijs, & ad summum esse verum, si tamen verum est, (nam legem obligare independentem ab acceptatione, communis, & vera sententia est, ait P. Suar. lib. 3. de Leg. cap. 19. & lib. 4. cap. 16. M. Mart. de Prado in Thcol. Mor. cap. 3. de Leg. qu. 6. n. 5.) ut à lege, & à Decreto obligeris. Ratio est: quia veritas, quæ deciditur, ut acutè P. Lessius de Justitia cap. 20. n. 192. non pendet ab acceptatione, aut censurâ subditorum, esto obligatio legis pendeat ab acceptatione; non enim liberum est homini rejicere veritatem cognitam ut certam: sed per Decretum Papæ declaratorium, cujus notitiam suppono, mihi certò constat veritas de inhonestate objecti, cujus licentiam approbat opinio damnata: ergo non est mihi liberum illam rejicere; ergo à principio naturali obligor acceptare talem veritatem, & Decretum: similiter à dictamine conscientie obligor acceptare certam doctrinam morum, & respuere certò falsam: ergo cum doctrina à Pontifice damnata sit certò scandalosa, adeoque sit certò falsum, quòd non sit scandalosa; & opposita sit certò non scandalosa, & certò verum sit, quòd sit honesta, obligor eam acceptare. Plura de acceptatione dabit M. Tapia tom. 1. lib. 4. qu. 3. art. 91. & alij passim. Hæc est mea mens, quam per sequentes conclusiones expono.

P. Suar.  
M. Mart.

P. Less.

M. Tap.

### §. III.

*Conclusiones exponentes meam sententiam.*

#### S U M M A R I U M.

*Omnes Fideles, qui habent certitudinem moralem Decretorum Pontificiorum, ut declarativa sunt, obligantur illis stare etiam, ubi non sunt evulgata, n. 54. 55. 56.*

*Decreta Pontificia, etiam ut legislativa, obligant, ubi non promulgata, à n. 57. ad 60.*

*Potestas declarativa non supponit jus jurisdictionis, n. 60.*

*Parendum legibus legitime promulgatis, n. 63. Non est necessaria promulgatio in omni loco, n. 65. ad 68.*

*Pleraque ex damnatis ab Innoc. continent materiam juris naturalis, alique juris humani, ib. Damnata circa jus humanum sunt verita, quia scandalosa, n. 67.*

*Decreta Tridentini circa fidem, & mores obligant etiam ubi non promulgata, ibid.*

*Cur leges civiles obligent tantum, ubi promulgantur; non autem Decreta Papæ? n. 70.*

E ij

Pono